EXEQUIÆ EUNDÆ
Viro Amplißimo & Integerrimo
DN. THEODORICO STADLANDERO,
in inclita Stetinensium Republica
Senatori inculpato,
anno æræ Christianæ clɔ lɔxcI. V. Id. VIIlbr.
in Frisia nati,
in ipsis natalitijs Christi ferijs VIII. Kal. Jan.
anni nuper finiti, apud nos denati
& ineunte hoc novo anno, prid. Non. Jan. solemnibus consuetis humandi!
Ut intersit
STUDIOSA IN GYMNASIO STETINENSI JUVENTUS,
HUMANITER
INVITATUR
A
SUO RECTORE
M. J. MICRÆLIO.

STETINI
Typis GEORGII GOETSCHII.

IPsis Calendis Januarijs,

Qveis damus alternas accipimusq; preces,
Et primam ad vocem timidas advertimus aures,

intimanda est vobis, filij, mors THEODORICI STADLANDERI; viri nondum decrepiti, & qvi longe diutius per ætatem suis consulere potuisset. Hic qvum quarto abhinc die communi omnium matri terræ reddendus sit, ipsa me urget temporis necessitas, ut correpto sacris Calendis calamo, de morte qvædam præfatus, quæ prælo typographorum committi possint, cœtum vestrum ad tumulum, notis solemnitatibus dicto tempore decorandum, mature evocem. Occinit vero Poëta:

Nunc dicenda bono sunt bona verba die:

Id jubet, cum in Fastis suis enumerat, qvæ primis anni ineuntis Calendis sint agenda, qvibus abstinendum. Prosperam enim dicit esse lucem, qva

Principium capiunt Phœbus & annus idem:

lite hic esse & jurgijs, tristibusq; ominibus abstinendum; omnia enim inesse principijs, & cavendum,

Totus ab auspicio ne foret annus iners.

Ego tamen de morte vobis nunc iterum concionor. Qvid vero illa horribilius? Qvis est aut qvotusqvisq;, cui mors cum appropinquat, non refugiat timido sangvine ac exalbescat metu? Uxorcula, & qvi me impensius in familia amant, possent calamum manibus extorqvere, & illud vulgi ingerere: Qvæ jam conaris, toto anno sunt expectanda. Morieris, si de morte verba tibi excidant. Sed si mortuus est STADLANDERUS die sacrato, ipso scilicet Christi nati festivissimo die, qvid ego non festo die cogitem de morte, qvam nullæ possunt excludere feriæ?

Serius, ocyus sors exitura.

Δεῖ θανεῖν με: ut est apud Euripidem. Oportet me mori, & hoc non in crastinum, neq; in tertium mensis diem mihi differtur malum: Qvanqvã qvid dico malam, qvę malorum finis est & pharmacum, atq; ἀπόλυσις, qva, ut est in Psalmo CXLII, 8. anima educitur מִמַּסְגֵּר ex carcere seu clausura? Non sane finit vitam, sed malitiam. Repetitur anima, non interimitur.

Mors hæc reparatio vitæ est.

Nec ignorarunt hoc apud profanos Philosophi, à qvibus mors sic describitur, ut sit non abolitio vitę & φθορὰ, sed χωρισμός, λύσις καὶ μετοίκησις. Quid, inquis, igitur horremus montem? quare inviti hinc discedimus? Quinam vero illi, inquam ego? Omnes sane inviti non discedunt. Calanus cum Gymnosophistis, & Cleombrotus cum Cyrenaicis non expectabant mortem, sed advocabant. Nec Getæ ἀθανίζοντες lugebant funera, sed puerperia: illa æstimantes cantu & lusu; hæc lamentis digna. Non lugemus omnes morientes; omnes lugemus nascentes:

Exclamant E vel A, qvotqvot nascuntur ab Eva:
Masculus A patrem; sed E luget fœmina matrem.

Inviti igitur à lacrymis terrenum hoc iter auspicamur omnes, tanqvam exilium. Qvia autem non omnes ploramus egressuri hinc, sed cum Simeone, missionem in pace fieri, plurimi gaudemus, vel hinc constat, mortem, si nonnullis incutit terrorem, qvibusdam esse levamento. Si vel maxime & nos mortem horremus, non tamen tota expavescimus anima. Qvæ in altero seculo in melioribus exercebitur, tantum abest, ut invita discedat, ut potius qvotidie sponte discedat. Qvid enim philosophia aliud à nobis reqvirit, qvam ut voluntas à pravis corporis affectibus, & mens à sensibus sevocetur. Hoc dum

agi-

agimus, moritur anima affectibus & sensibus, & liberatur à corpore. Hanc ob causam scitissimè Plato philosophiam vocavit mortis meditationem. Quia igitur sapientibus mors est familiaris & domestica, non illis incutit terrorem, qvum jamdudum didicerint, qualis sit post obitum futurus puri animi habitus; tranquillus videlicet & serenus, & idearum formulis, ut Platonicè loquar, quasi stellarum radijs circumfusus, & divini solis splendore coruscans. Abeat igitur ea animæ pars invita, quæ alendo & nutriendo, etiam oblectando corpori est tributa, quia posthac naturali quodam officio suo incumbere non licebit: doleat etiam illa anima, qvæ mentem nimis submisit sensibus & affectibus: horreat deniq; & cũ fremitu exeat, quæ male sibi conscia, non ignorat, superstitem fore se post funera, sed in æternis tenebris: nobis tamen sanior mens, qui novimus omnem culpam, quæ cœlis indignos fecerat, ab illo esse dilutam & remissam, cujus è virgine nativitatem superioribus diebus læti celebravimus. Non quidem nego, cruciatum multis imponete, quem putant sibi instare sub animæ à corpore discessu. Ego vero quotidianis illis morbis, quibus caput vel dentes vel viscera torqueri sentimus, plus doloris inesse arbitror, quam cùm nervis jam obtusis, mors animam evocat. Ipsum igitur discessum si cum Timæo apud Platonem voco svavem soporis oppressionem, non erravero: nec enim abludunt mysteria nostra, in quibus morientes dicuntur obdormire & à laboribus requiescere. Vanum mortis metum tolle, & morti nihil horroris inest, nisi quatenus anima nondum satis cœlis apta est. Apta autem non redditur nostris virtutibus & meritis: sed solius Christi beneficio. Huic si omnia nostra commiserimus, venientem mortem læti poterimus excipere, ut qui nos diu ad eam composuimus. Sensit hanc felicitatem

piè defunctus: ideoq; cùm in piorum cœtibus nati Christi beneficia lætis hymnis nuper celebrabamus, utut lecto qua membra affixus, toto animo in promissiones sibi à Servatore suo factas incubuit, & eo die, qui ecclesiæ omnium est lætissimus, in æterna gaudia discessit. Lætam hanc catastrophen præsenserat: ideoq; ex illis Christi verbis, quibus apud Johannem XVII, 24. à patre impetrat, ut, ubi ipse sit futurus, secum sint sui, & gloriam suam videant: materiam homiliæ ad populum in sui funeratione habendæ depromi, paulo ante jusserat. Hæc cum dico, vel sic puto me bono die bona dixisse verba, nec triste anni auspicium dedisse, sed animum ad salutares cogitationes, quibus indies se emendet, revocasse. Ortum vero, vitam & egressum beatè defuncti quod attinet, Frisius ille est natione, anno æræ Christianæ cIↄ Iↄxci. quinto iduum Octobris Suhrwurdiæ prope Oldenburgam natus. Hic locorum & in vicina Westphalia antiquas Saxonum sedes Geographi non sine causa ponunt: & genius loci nondum desijt incolis adspirare animos tantopere in Saxonibus quondam celebratos. Quod eo libentius dicimus, quia hæc nostra Pomerania, cum Sarmaticæ gentes, longius in has Germaniæ oras per absentiam majorum nostrorum, catervatim contra vim Romanorum sistendam eductorum, progressæ, his sedibus denuo exuerentur, è Westphalia & Frisia evocavit, qvos, ut incolis antiquis lingva & moribus conformes, suis permisceret. Et cū huc sese etiā STADLANDERI fratres reciperent, læto illos excepit vultu. Pater illis fuit ULRICUS ALBERTUS STADLANDER, vir integer & ingenuus; mater, FLORA ULRICI, matrona apud suos conspicuæ pietatis. Patruū habuere ROLOFUM, Senatorē quondam & Camerarium in vicino Pasewalco.

walco. Quē cum noster THEODORICUS inaudiret mercaturā satis splendidam exercere, seq; pietate & prudentia omnibus commendare, jam annum ætatis agens XVI. consensu parentum evolavit Palewalcum, & in familiam patrui accitus, totos sex annos eadem apud illum laude probitatis & integritatis confecit, qua antea pueritiam in paternis ædibus. Hæc vero adolescentiæ tempora sic negotijs mercatorijs dispensabat, ut nunqvam illorum librorum curam deponeret, in quibus noverat res gestas & fata variorum populorum describi. Hunc ardorem legendi historias, & autores melioris notæ comparandi nec vir factus deposuit: & vel maxime hac in re mihi sapuisse videtur, illis longè prudentior, qui, cùm Latina aut Græca non intelligunt, sibi aditum ad prudentiam, in libris vernacula lingva conscriptis, non patere putant. Sui juris jam factus, meminerat, se non sine lucro frumentum patrui in Hispania, quo missus ab illo fuerat, paulo ante distraxisse, subinde igitur mari se commisit, & jam in emporijs Hispaniarū, jam in Belgio & Gallia, jam alibi fortunarum suarum incrementa quæsiit. Qvo in vitæ genere qvot curas devoraverit, qvas ærumnas sustinuerit, qvæ pericula adierit, facile conjicit, cui non ignotæ sunt maris fortunæ, merciumq; ipsarum vicissitudines: qvibuscum postquam alio integro sexennio conflixerat, acuto est correptus morbo, qvi lingvæ usum etiam per horam intercepit. Eluctatus tamen per Dei gratiam, denuo sibi rebusq; suis institit, & qvia sibi jam prospexerat de rebus ad vitam necessarijs, uxore sibi opus esse intellexit, qvacum curas sociaret, ut qvæ ipse foras qværeret, domi illa dispensaret; & urgebat jam annus ætatis XXX. Elocari igitur sibi voluit virginem lectissimam ANNAM, MATTHÆI HENCKII negotiatoris qvondam apud nos notissimi filiam.

Huic

Huic XXIX pene annos tanta fide, tantaq; animi tranquillitate convixit, ut exemplũ omnibus præberet conjugalis moderationis. Nec sterilis fuit torus: Novem enim liberos ex uxore sustulit, quatuor nempe filios, reliquos sexus sequioris, omnes indolis non vulgaris. Longo jam se tempore patribus civitatis probaverat, vitæq; innocentia meruit, ut ær. cIↄ Iↄc XXXI. in senatum coöptaretur. Postea etiam illis associatus est, quibus rationes commeatuum pro exercitibus regijs incumbunt. Et harum caussa ante sexennium in Suediam ad aulam profectus, cætera quidem ad votum expedijt, filium autem interea egregium, natu majorem, non leviter jam literis & ingenuis artibus tinctum, & filiam adultam hic amisit, nec exequijs caræ sobolis interesse ipse poterat. Sic scilicet vita nostra transigitur, ut adversa subinde cursum felicitatis sistant. Substitit tamen in omnibus, quæ animi constantiam labefactare possent: vir longè optimus, & eo nomine mihi quoq; carissimus, quod filios studio sapientiæ omnes destinaverat, & cùm nuper ULRICUM majorem è nostra palæstra, in qva qvadriennium fere militaverat, ad Academicas arenas emitteret, reliquos juniores apud me in illius locum substituere voluit. Diximus, ut vixerit. Vitæ solet mortis genus respondere: nec male moritur, qui bene vixit. Decem tantum diebus decubuit, febri acutissima correptus: unde cùm non posset arte Medicorum liberari, sanam ex ægroto corpore mentem in manus cœlestis sui Domini deposuit, & qvidem, quod dixi, in summa natalitiorum Christi festivitate. Vos, juvenes florentissimi, exequias viro amplissimo ite: idq; eo libentius, quia quatuor filios cætui vestro, dum vixit, associavit. VALETE.

M. J. MICRÆLIUS.

F I N I S.

